

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CXCVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Airardvm Archiepiscopvm
Avscensem, Eivsqve Svffraganeos. Hortatur deprauatos populi mores
corrigendos, praecipue incesta matrimonia. ne quis reicta vxore ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ture regni Ludouici piæ memoriarum nepotis vestri præpediti existatis, pro multo, quod circa vos videndi desiderium habemus, turbati manemus; sed vestra fisi benigitate petitum, vt omni cura remota, pro amore Dei, & sanctorum apostolorum Petri, & Pauli, nostræ petitionis sollicitudinem pio pectore vestro alacriter assumatis: vt sicut sedes apostolica, quæ caput est omnium ecclesiarum Dei, vos magno desiderio, quasi vnicum & carissimum filium præstolatur, vestra speciali visione celeriter perfruatur: quoniam si, Deo fauente, Romanum sumpseritis imperium, omnia vobis regna subiecta existent. Nam si pleniter sciretis quanta nos vndique mala, quæ pro multitidine scribere nequiuimus opprimunt, & affigunt; tantum in vestra cognoscimus sapientia, quod per vestram magnitudinem iam maneremus defensi. Deus te incolumem custodiat carissime fili. Data supra.

EPISTOLA CXCVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD AIRARDVM ARCHIEPISCOPVM AVSCENSEM,
ET IVSQVE SVFFRAGANEOS.

Hortatur ad deprauatos populi mores corrigendos, præcipue incesta matrimonia. ne quis relicta vxore aliam ducat, aut simul cum vxore concubinam habeat vt tres immobiles ecclesia nemo sibi usurpet, & vt clerici sub episcopi sint potestate.

Reuerentissimis & sanctissimis, Airardo archiepiscopo, & Inuolato Conuenensi, Vrainardo Conserano, Sarfonio Bigorrensi episcopis.

MVLTAS prævaricationes contra totius Christianitatis religionem, atque sanctorum patrum venerabiles sanctiones, his vestris in partibus a prauis fieri Christianis veridica multorum relatione didicimus. Quos vero nec piæ admonitionis vestrae blandimento, nec debitæ excommunicationis vinculo, nec etiam apostolicæ constitutionis verbo, aliquatenus a tantorum malorum operum infestatione ac perpetratione prohibere, nec peni-

tus valetis compescere. Et ideo dolemus pariter vobis-
cum, fratres mei, super temeritate populi talia præsumen-
tis, & nullam ex his pœnitudinem fructuosam in præsenti
agere volentis, vestramque salubrem correptionem pro
nihilo ducentis. Igitur quia nostro apostolatui humiliter
suggeſſistis, vt apostolica fulti auctoritate, populum gra-
uem & plenum iniquitate libere possetis corrigere; quan-
do ex diuino eloquio docemur, vt aliquando conuersi fra- *Luc. 21.*
tres nostros aliqua ſæculi fluctuatione inefficaces confir-
mare debeamus; vos cum Doctore gentium conuenimus
dicentes, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, *1. Thess. 5.*
arguite peccantes, obſecrate proteruos, & increpate ini-
que agentes, cum omni imperio. Vobis namque populus
ipſe ſicut grex ouium Domini pastoribus est commiſſus:
& niſi eos ita nunc temporali increpatione correxeritis, vt
ſpiritu ſalui ſint in die Domini nostri Iefu Christi, ſanguis
eorum de vestris procul dubio manibus requiretur. Sin au-
tem vobis annuntiantibus non obedierint, ipſi in ſuis ini-
quitatibus defient, vos vero animas vestras liberaſtis.
Præterea vnum valde illicitum & execrabile malum con-
tra venerabilia sanctorum patrum decreta eosdem vestros
parochianos committere audimus: hoc eſt vt nulla gene-
ris consanguinitate custodita, nulla propinquitatis pa-
rentela obſeruata, vnuſquisque ſuam propinquam in quo-
cumque fuerint gradu, accipiat vxorem, atque incesto &
nefario ſe coniugio copulent. Quod licitum facere Chri-
ſtianis non eſt, dum uſque ſe generatio cognouerit. Vnde
sanctissimi prædeceſſores nostri, Stephanus videlicet, Eu-
genius, atque Leo, synodali decreto tale nefandum con-
iugium fieri prohibuerunt, dicentes: vt confobrinam, ne-
ptem, nouercam, fratris uxorem, vel etiam quamlibet de
propria cognitione, nullus præsumat ſibi in coniugio co-
pulare: quia scriptum eſt in lege Domini: *Turpitudinem* *Levit. 18.*
uxoris patris tui, ſive uxoris fratris tui, atque ſororis tuæ non reue-
labis. turpitudo enim tua eſt. Et ſi Deus Hebraico populo ante
incarnationem uigeniti Filii ſui haec ſeruanda man-
dauit, quanto amplius nos, qui Christianæ religionis do-
cumenta tenemus, ab illicitis connubiis obſeruare debe-
mus, ne demersi in voragine ignis æterni concrememur
incendio? Si quis vero in hoc nefario coniugio inuentus in

Dd iij

eo permanere voluerit, aut nunc ab vxore solitus hoc agere tentauerit, sciat se auctoritate apostolica anathematis vinculo esse innodatum, & nullus sacerdos illi tribuat communionem: & si inclinatus ab illicita se copula diuise- rit, poenitentia submittatur, vt sacerdos loci considerauerit. Hoc etiam cum illis pariter iubemus, vt nullus propriam relinquat vxorem, & illa viuente alteram sibi sociare presumat; nec liceat ei vno tempore duas habere vxores, vxorenive & concubinam. Iubemus etiam, vt nulli sacerdotum, nullique laicorum liceat res immobiles sub qualibet occasione a piis & venerabilibus locis subtrahere, & in proprio vsu habere. Qui vero presumperit, canonicis subiaceat correctionibus. Statuimus etiam, vt omnes presbyteri & clerici sub proprii potestate consistant episcopi, & nihil sine ipsius conscientia gerant, secundum regulam a patribus constitutam. Si quis sane sacerdotum aut clericorum aliter agere presumperit, a suo canonice redarguatur episcopo: laicus quoque, si de potestate episcopi clericum quemlibet subtrahere presumperit, excommunicatus existat. Hæc, fratres carissimi, pro vestra supplicatione & honorificentia in auctoritatem habenda descripsimus vobis: quatenus his nostræ constitutionis muniti præceptis, digna Deo nostro possitis securiter deferre obsequia, debitasque persoluere laudes. Optamus sanctitatem vestram in Christo bene valeare. Data Idibus Iuniis, indictione XII.